



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 10. Quænam ex iis requiritur in Ministro ad validitatem Sacramentorum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



18 TRACTATUS I.

tutem à se relictam in actionem influere censetur, quod quidem accidere potest homini etiam dormienti. v. g. Cum quis solitus administrare Sacramentum Baptismi, illud administrat sine ulla intentione, aut reflectione ad id quod agit.

*Quæst. 10.* Quænam ex dictis intentionibus requiritur in ministro ad validitatem Sacramentorum?

D. Th. 3. p.  
q. 64. art. 8.  
ad 3.

*Resp.* Intentio actualis non est necessaria ad validitatem Sacramentorum; quia, ut ait Divus Thomas, *Non est totaliter positum in hominis potestate habere actualem intentionem; quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalmi 39. COR MEUM DERELIQUIT ME.* Studiosè tamen, inquit idem Doctor ibidem, *curare debet Sacramenti Minister ut etiam actualem intentionem adhibeat.* Intentio virtualis sufficit. Si enim in ipso exercitio actus, inquit idem sanctus Thomas ibidem, *cogitatio Ministri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Hæc enim in Ministro, evagante animi cogitatione, dum Sacramentalem actionem exercet esse potest, atque ad Sacramenti integritatem sufficit. Quare Sacerdos, qui minores hostias consecrandas in altari reposuit, eas verè consecrat vi primæ intentionis, etsi inter mysteria mens ejus fuerit evagata, nec illarum in ipso consecrationis articulo meminerit.

D. Bonav. in  
6. p. Brevi-  
loq. cap. 5.

Intentio habitualis non sufficit, quia actus ex illa proveniens, non est actus humanus, cum fiat sine advertentia, & deliberatione, nec proinde adsit intentio faciendi quod facit Ecclesia, &, ut ait Divus Bonaventura: *Dispensatio Sacramentorum est opus hominis ut*



De Sacramentis. Cap. IV. 19

rationalis, ut Ministri Christi & ut Ministri De Sacra-  
salutis: Hinc est, quod necesse est quod fiat mentorum  
ex intentione, quâ quis intendat facere quod dispensatio-  
Christus instituit ad humanam salutem, vel ne,  
saltem facere quod facit Ecclesia.

Quaest. 11. Si habitualis intentio Ministri  
non sufficiat, quomodo intelligi debet quod ait  
Divus Thomas, quod *Licet ille qui aliud co-* D. Th. 3. p.  
*gitat non habeat actualem intentionem; ha-* q. 64. art. 8.  
*bet tamen intentionem habitualement, qua suffi-* ad 3.  
*cit ad perfectionem Sacramenti?*

Resp. Facile est videre ex verbis Divi Tho-  
mae, cum non loqui de intentione habituali,  
quatenus distinguitur à virtuali, sed solum  
quatenus distinguitur ab actuali; cum dicat  
ibidem immediate post verba citata: *Putà cum*  
*Sacerdos accedens ad baptisandum, intendit*  
*facere circa baptisandum quod facit Ecclesia.*  
*Vnde si postea in ipso exercitio actus cogitatio*  
*eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ inten-*  
*tionis perficitur Sacramentum.* Hoc autem  
vocalamus intentionem virtualement, quæ nihil  
aliud est quàm intentio quæ reperitur in eo,  
qui habitâ intentione actuali administrandi  
Sacramentum, postmodum distractus est, il-  
ludque confert virtute primæ intentionis actua-  
lis quam prius habuit.

Quaest. 12. Si intentio Ministri necessaria  
foret ad validitatem Sacramenti, sanctus Ale-  
xander Episcopus Alexandriae, non debuisset  
approbare Baptismum à sancto Athanasio So-  
ciiis jocando collatum; cum enim adhuc puer  
pueriliter luderet in littore maris & Episcopa-  
les actiones imitando exprimeret, colludentes  
pueros baptizavit in nomine Trinitatis; quo-  
niam quidem qui ludendo solum res facit, non  
videtur habere intentionem administrandi Sa-  
cramentum. Similiter Baptismus receptus à